DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

PROUIDUM ATQUE TEMPESTIUUM MEDICAMENTORUM EUACUANTIUM USUM PRO DIUERSITATE TEMPORUM MORBORUM PRUDENTER INSTITUENDUM,

QUAM
ADIUUANTE SUMMO NUMINE
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM
IN ACADEMIA IULIA ORDINIS
PRAESIDE

BRANDANO MEIBOMIO
MEDIC. D. ET PROF. P. O. ARCHIATRO GUELPHICO
FACULT. MED. SENIORE ET H. T. DECANO

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIUILEGIA DOCTORALIA
RITE OBTINENDI
PUBLICO ET SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

FRIDERICUS AUGUSTUS HEINSE
HELMSTADIENSIS

IN IULEO MAIORI
D. XII. OCTOBRIS MDCCXXIII.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

HELMSTADII, LITTERIS SCHNORRIANIS.

PRAEFATIO.

MOrbos, quibus humanum corpus exponitur, dum tempora ſua decurrunt, non uno eodemque modo ſe ſemper habere, ſed aliam atque aliam ſubinde faciem in progreſſu repraeſentare & pro hac diuerſitate diuerſa etiam frequenter poſtulare remedia, jam olim Medicinæ Parens Hippocrates & deinde Galenus obſeruarunt. Quaternario igitur numero *tempora morborum* incluſerunt, eaque per *principium*, *augmentum*, *ſtatum* & *declinationem* definierunt.

Principium morbi duplex eſt; *aliud* eſt ipſum *temporis momentum*, quo homo turbationem ſive alterationem quandam morboſam functionis cuiusdam ſiue plurium in corpore ſuo perſentiscit; *aliud* eſt *tempus durationis* primi inſultus morboſi usque ad augmentum, id quod nobis heic maxime conſiderandum uenit. *Augmentum* eſt, quando ſtatus praeternaturalis corporis aegrotantis maiora ſumit incrementa, ipſeque morbus ſub ordinariorum concomitantium ſymptomatum larua magis ſe manifeſtat. *Status* dicitur, quando morbi uehementia ad ſummum faſtigium ſive ἀκμὴν peruenit, omniaq; ſymptomata, quibus morbus utplurimum ſolet eſſe ſtipatus, aegrotantem maxime adfligunt & urgent. *Declinatio* indicat *tempus*, quo morbi atque

ſymptomatum uirulentia adhibitis remediis cedit, magnaque ſpes recuperandae priſtinae ualetudinis adfulget.

Haec ueterum medicorum ueſtigia non ſolum mox ſubſequentium temporum, ſed & recentiores noſtri aeui Medici premunt, atque concordi ſuffragio illum *quaternarium temporum morborum numerum* comprobant, certitudinem huius rei probe perſpicientes. Quemadmodum enim frequens citra neceſſitatem facta medicaminum mutatio, eorumque intempeſtiua adplicatio haud raro in aegroti detrimentum cedit, craſſamque medici ignorantiam in cognoſcendo morbo arguit; ita ſubinde haec remediorum uariatio maxime neceſſaria eſt, quae ſi habita ratione temporis morbi, prudenter ac circumſpecte inſtituitur, non ſolum exoptatum medicamentorum effectum procurat, ſed ſimul inſignem medici peritiam eiusque ſagaciſſimum iudicium practicum manifeſtat. Nemo negare audebit, medicamina in principio morbi felici cum ſucceſſu exhibita, in augmento reliquisque morbi temporibus ſaepe ſumme noxia eſſe, & ſic uice uerſa.

Haſce quidem cautelas auctores practici paſſim ſcriptis ſuis interſperſerunt, utplurimum tamen has iudicio practici relinquentes; uerum cum res ſit haud leuioris momenti, pro diſſertationis inauguralis themate *tempeſtiuum & prouidum medicamentorum euacuantium uſum pro diuerſitate temporum morborum prudenter inſtituendum* mihi ſeligere minime ſum ueritus, in morbis frequentioribus pro ingenii mei uiribus hunc oſtenſurus.

CAP. I.

Cap. I.

DE VOMITORIIS.

§. I.

INter euacuantia medicamina primo loco se sistunt *uomitoria*, maximi sane usus in medicina. Si paulo penitius perscrutamur, quomodo haec energeiam suam in corpore humano exserant, uim quasi naturae inferre, eiusque ordinem inuertere uidentur, fibris uentriculi atque intestini duodeni, aliarumque partium adiacentium motum naturali peristaltico motui contrarium inducendo. Id quod nonnullos priscorum medicorum eò adduxit, ut uomitoria ex foro medico omnino proscribere fuerint annisi, sed sine sufficienti ratione. Etsi enim non promiscue cuiuis subiecto, nullo habitu respectu idiosyncrasiae, aetatis, constitutionis aliorumque indicantium & contraindicantium hoc medicamenti genus praescribere liceat, neque etiam citra necessitatem, si alia sufficiant, hoc medicamenti genus temere sit exhibendum; attamen fortior huius operandi

modus non penitus nos ab huius usu deterrere debet, praesertim cum in debellandis morbis chronicis, aliisque, quorum fomes in primis uiis latitat, saepe unicum uomitorium plus praestet, quam aliquot purgationes per aluum repetitis uicibus institutae. Uitiosi enim humores non tantum immediate sic ex uentriculo educuntur, sed etiam in uicinis partibus saepe latitantes mediante motu peristaltico inuerso in uentriculum protruduntur, sicque concitato quasi gradu per superius guttur excernuntur, quo facto & praesentes morbos saepe tolli, & imminentium fomitem etiam non raro intercipi obseruamus.

§. II.

Praecipuus autem curationis morborum cardo in eo uersatur, ut remedia debito ordine, debito tempore adplicentur. Nam sicuti gladius in manu furiosi, ita medicamenta, & inprimis generosa ac heroica eiusmodi remedia in manu imperiti medici sunt, qui iudicio practico destitutus promiscue, nulla praevia indicantium collectione, nullo contraindicantium aliarumque circumstantiarum intuitu medicamenta aegris porrigit. Cum haec circa emeticorum usum solicite obseruanda sint, demonstrabo, haec non indifferenter quouis morbi tempore, sed modo in principio, modo alio tempore prouide in usum esse uocanda.

§. III.

Sed uideamus nunc morbos frequentiores, in quibus exhibere practici uomitoria consueuerunt. In apoplexia ad excitandos aegros communiter suaderi solet uomitorium, uid. *Laz. Riuer. prax. Lib. 1. c. 2.*; *G. W. Wedel. disp. de uomitoriis rite adhibendis*; *Frid. Deckerus in exercit. pract. circa med. meth. c. 4.* aliique. Ubi uero primo notandum, in apoplexia, quam sanguineam adpellamus, uomitorium nulla ratione indicari, neque sanguinis in uasis redundantiam hoc remedio tolli

posse,

posse, imo propter concussionem corporis, quam uomitoria efficiunt, metum esse, ne uasa à sanguine iam tum distenta rumpantur & ipse morbus augeatur.

§. IV.

In apoplexia uero pituitosa dicta, ubi uiscidi crassi humores in uentriculo frequenter simul adesse solent, id quod anxietates praecordiorum, paroxysmum saepe praecedentes, inprimis innuunt; uel etiam si à cibo sumpto, aut post crapulam aeger hoc morbo corripiatur, tum magis indicari uomitorium & in ipso paroxysmo locum habere posse, dubium non est. Praesertim si leuior sit paroxysmus, & respiratio non nimis laesa fuerit, haec enim si ualde difficilis aegrum cruciet, suffocationem à uomitorii exhibitione non sine ratione metuimus.

§. V.

Ad praecauendum uero paroxysmum utiliter etiam propinantur uomitoria, si uitiosos humores in uentriculo latitare circumstantiae indigitent, cum maximus consensus sit inter uentriculum & cerebrum, &, teste quotidiana experientia, illo affecto, hoc etiam frequenter in consensum rapiatur & grauiter laboret.

§. VI.

In uertigine etiam locum habent uomitoria, illa scilicet, quae sympathica dicitur & per consensum uentriculi cum cerebro ope paris neruorum octaui, paris uagi dicti, exoritur. Quamprimum signa sympathicae huius uertiginis adparent; optime prospicitur aegroto, si medicus statim in primo morbi principio de uentriculo à cruditatibus per uomitorium repurgando cogitet. Sic enim peccantibus humoribus, tanquam causa materiali, ex primis uiis remotis, praeternaturalis uellicatio ramulorum nerueorum paris uagi per uentriculum uberrime dispersorum cessat, unde anomalus succi neruosi motus, & inordinata tunicae retinae crispatio quoque desinunt.

Si uero malum hoc iam altiores egerit radices, genusque neruosum à frequenter recidiuantibus paroxysmis ita iam fuerit debilitatum & debita elasticitate priuatum, ut uertigo antea sympathica in idiopathicam & habitualem degenerauerit, sane ob systematis neruosi atoniam angue peius fugienda sunt uomitoria.

§. VII.

Idem sentiendum erit de epilepsia motibusque conuulsiuis, qui, si fomes horum sonticorum morborum in uentriculo lateat, statim in primo principio euacuationem causae materialis per uomitorium indicant. Sero autem per emetica medicina paratur, si a crebrioribus insultibus epilepticis systemati neruoso notabilis atonia iam inducta sit; hoc enim in epilepsiae statu si medicus emeticum propinet, certissime malum exasperabit, dum eo ipso impetuosus atque irregularis spirituum animalium motus magis augetur, genusque neruosum ad praeternaturales crispationes & spasmodicas constrictiones disponitur.

§. VIII.

Non sine fructu maniacis & melancholia hypochondriaca correptis praescribuntur emetica. Hisce chronicis & saepe admodum rebellibus affectibus exstirpandis non sufficit una uel altera uice in primo morbi principio exhibitum uomitorium. Quare per totum horum affectuum decursum uomitoriorum usus pro re nata, ceteris paribus, reiterari potest. Docent obseruationes, maniacos post emetici operationem per aliquot horas, imo saepe dies à furore remisisse, quia per uiolentam hanc corporis concussionem spiritus animales ab impetuoso suo motu uersus caput quasi reuelluntur, iisque placidior motus inducitur. Hic tamen monendum esse censeo, quod, si in melancholia hypochondriaca laborantibus stricturae & tensiones in hypochondriis & abdominis regione ualde urgeant, de quibus hi aegri frequentius conqueri solent,

lent, ſatius ſit ab emeticorum uſu abſtinere, quam hoc ipſo eorum cruciatus exacerbare.

§. IX.

Nullibi maiori cum prudentia & circumſpectione circa uomitoria exhibenda procedendum eſt, quam in morbis pectoris, ob tenerrimam pulmonis ſubſtantiam, cui facile per uehementem hanc corporis concuſſionem labes adfricari poteſt. Commendant quidam practici uomitoria in phthiſeos & hecticae principio; ſed haec eſt res periculi pleniſſima. Phthiſin enim incipientem cognoſcere, hoc opus, hic labor eſt; nec praecipitanter eſt agendum in prognoſticanda phthiſi, cum unum alterumue ſignum hic non ſufficiat. Alias medicus & in praxi uerſatus, & in morbis etiam dignoſcendis felix facillime decipi poteſt. Quando autem talia phaenomena & ſigna in aegro ſunt obuia, ex quibus coniunctim ſumptis certiſſime phthiſin dignoſcere licet; exſulent omnia eiusmodi draſtica remedia, qualia ſunt uomitoria, niſi mortem, quae forſan debitis & adpropriatis aliis medicaminibus procraſtinari potuiſſet, accelerare, uel ſaltem haemoptyſin aliaque funeſta ſymptomata accerſere uelis.

§. X.

In hectica incipiente, uentriculo primisque uiis ſuos natales debente, nec cum pulmonum aliusue uiſceris exulceratione coniuncta, facilius admittuntur emetica, dnmmodo eo tempore fiat, quo uires aegri ſuſtinendae emetici energeiae adhuc ſufficiunt. Si autem per totam maſſam ſanguineam & humores malum hoc iam ſit diffuſum, ſudor colliquatiuus aegrotum maxime infeſtet, huiusque uires notabiliter inde proſtratae fuerint, ſolicite uomitoria ſunt euitanda. Locum quoque habent in aſthmate hypochondriaco, tuſſi ſtomachali, ubi ſaepe omne ferunt punctum, adfluxum acrium uiſcidorum humorum ad pulmones intercipiendo; quare aliquando aegris

gris tussientibus non male consulitur, quando medicaminibus bechicis uomitum cientia accisa in dosi admiscentur. Utrum uero in catarrho suffocatiuo tutus sit uomitoriorum usus, ubi paroxysmus urget, ualde dubius haereo, licet aliqui plenis buccis illa hic laudent.

§. XI.

Omnium maxime morbi infimi uentris uomitoria efflagitanr, u. gr. anorexia, pertinax ardor uentriculi siue soda, uomitus ipsi, cholera, dysenteria, cachexia eiusque species. In recensitis his affectibus primum morbi principium pro exhibendo uomitorio eligendum esse, nemo, opinor, negabit, quum singulorum eorum causa utplurimum à saburra humorum uitiosorum in uentriculo & primis uiis stabulantium sit repetenda. Quid citius hic indicatur, quam matura eorum euacuatio? In omnibus enim morbis ex primarum uiarum uitio ortis medico semper ad chyloseos officinam, omnium corporis humorum scaturiginem, est respiciendum, qua destructa, uel saltem debilitata, alimenta tam esculenta, quam potulenta crudum & uitiosum chylum suppeditant, qui ad massam sanguineam delatus hanc ipsam eodem uitioso charactere consignat, unde syncrisis & diacrisis humorum minus rite procedunt, obstructiones uiscerum emergunt, uariique morbi chronici propullulant; qualis enim chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales humores.

§. XII.

Uerum aliter se res habet in in passionibus colicis. Hae licet eiusdem sint prosapiae, ipsisque primarum uiarum cruditatibus ortum suum acceptum referant, in paroxysmo tamen colico uomitoria admitti non possunt Fieri enim nequit, quin colicis passionibus adflicti enormibus doloribus exponantur, dum à uehementi uomitoriorum operatione corporisque concussione crispaturae & spasmodicae constri-

ctiones

ctiones inteſtinorum magis magisque augentur, & ad ipſam colicam conuulſiuam fores panduntur. Nec tam cito poſt debellatum paroxysmum colicum ad emetici uſum eſt accedendum, ne recidiuanti paroxysmo anſa eo ipſo praebeatur; ſed praeſtat, adſopitis ſpasmodicis inteſtinorum criſpationibus, praeſeruandi fine ea in uſum uocare. Idem iudicium formandum erit de paſſione hyſterica & hypochondriaca, qui affectus non ſemper uomitoria ferunt, ob moleſtas neruorum abdominis & diaphragmatis conſtrictiones, iis admodum familiares, quae facillimo negotio à uehementi corporis commotione reſuſcitari, nouumque paroxysmum, praeſertim in hyſtericis, inducere poſſunt.

§. XV.

Nec ſilentio peplo inuoluendae ſunt febres intermittentes, in quibus uomitoria inſignem ſaepe uſum praeſtant, quoniam ſedem ſuam in uentriculo frequenter habent. Non ſolum autem in harum principio illa propinare licet, ſed pro re nata, quando iamtum per aliquod tempus aegrum adflixere, feliciter eorum uſus reiteratur, usque dum eo ipſo omnis materia excitandis ulterioribus paroxysmis febrilibus praeſcindatur. Diſpar ratio eſt in febribus continuis & acutis, ubi ob bilioſam in uentriculo fluctuantem ſaburram emeticum utiliter ſaepe, ratione circumſtantiarum habita, in ipſo febris principio propinatur. Morbo autem ad maiorem uigorem iam prouecto exſulet hoc medicamen ob inſignem uirium proſtrationem, uel iam praeſentem, uel ab huius operatione extimeſcendam. Per ſe quidem uomitorium febres acutas & continuas non curat; ſed remouendo bilioſos illos humores maiorem ſanguinis orgasmum praepedit, & à praecordiorum anxietatibus aliisque peſſimi ſaepe ominis ſymptomatibus aegrum quodammodo immunem praeſtat.

CAP. II.

DE PVRGANTIBVS.

§. I.

ORdine ſuccedunt *purgantia*, quae intus adſumpta particulis ſuis ſalinis inteſtina eorumque glandulas, aliaque uiſcera emunctoria ueſlicando, motum periſtalticum augendo, largiorem humorum ſecretionem promouent, & inteſtinorum canalem ad frequentiores deiectiones ſtimulant.

§. II.

Horum *purgantium* uſus longe latius patet, quam *emeticorum.* Plurimi dantur morbi, qui uomitoriorum uſum plane reſpuunt; multae in ipſis morbis ſubinde occurrunt circumſtantiæ, quae, licet uariae indicationes *emeticum* expoſcant, tanti tamen ſunt momenti, ut eius uſum omnino contraindicent. Ubi ergo morbi indoles & genius ita eſt comparatus, ut aliqua tamen euacuatione opus habeat, ad *purgantia* medico erit deueniendum, quorum prouidam & tempeſtiuam exhibitionem pro diuerſitate temporum morborum breuibus ſum expoſiturus.

§. III.

Huc in mentem mihi ueniunt aurea & ſaluberrima diui noſtri Coi effata atque monita circa tempus exhibendi *purgantia*, ubi primo inquit, *ſi quid mouendum eſt, in principio moue*; deinceps in *ſect.* I. *aph.* 22., *quae matura coctaque ſunt, medicamento purgante educere oportet*, non cruda. Quibus uenerandus hic ſenex innuit, medico quam maxime ad *tempus morbi* in praeſcribendis purgantibus eſſe attendendum, &

in

in aliis morbis in *primo principio*, in aliis in *declinatione* ea esse in usum trahenda, ubi scilicet peccans materia cocta, & à reliqua humorum massa magis sequestrata est, promptiusque ab ea secedit. Uerum enim uero nonnunquam morbi conditio eiusque magnitudo non permittunt, ut humorum crudorum praeparationi diu incumbamus, easque ad euacuationem prius disponamus; quare subinde ab hac regula recedere necessum est, u. gr. in apoplexia, morbo herculeo & sontico, ubi primo statim momento clysteres acriores & stimulantes, reuulsoria sua uirtute caput ab eiusmodi impuritatibus repurgantes iniiciendi sunt, quibus purgantia & quidem fortiora aliquando adiungere licet. Crudi hic peccant humores, pituitosi & lenti, neruorum tubulos obsidentes, ad euacuationem nondum apti; nihilominus tamen praeceps hic affectus praeceps & subitaneum exposcit auxilium, materiaeque licet adhuc crudae qualemcunque eliminationem. Optime duas hasce indicationes purgantia adimplent, quum incidendi & resoluendi sua uirtute humores lentos ipso operationis momento simul attenuent, eosque ad euacuationem ita dispositos ex corpore exterminent. Qua ratione superata morbi uirulentia, humorum correctioni studendum, & ad exstirpandas eius reliquias, malique recrudescentiam auertendam purgantium usus etiam reiterari potest.

§. IV.

Aliter sese res habet in morbis non adeo urgentibus, nec tam celerem interitum minantibus, quales sunt cachexia, eiusque species, hydrops, obstructio mensium, febris quartana, aliique similes. In his exactius & stricte magis regulae illi Hippocratis insistere possumus, scilicet, cocta non cruda esse mouenda. Praecipua enim & prima indicatio hisce in affectibus in eo consistit, ut de humorum uitiosis qualitatibus emendandis soliciti per aliquot dies aperientium & praeparantium usum praemittamus, antequam horum euacuationem

per purgantia tentemus. Quibus ſecundum artis praecepta rite praemiſſis, per integrum horum chronicorum morborum decurſum corrigentium atque aperientium uſus aliquoties quocunque morbi tempore purgantibus conuenientibus eſt interpolandus.

§. V.

Hanc crebriorem purgantium reiterationem plurimi celeberrimorum practicorum pro curando hydrope maximopere commendant, & ſunt, qui fortiter, aut nunquam hydropicos purgandos eſſe uolunt. Id quod locum quidem ſaepius, non tamen ſemper habet; & attendere Medicum debere exiſtimo, utrum purgantia energeiam ſuam cum eüphoria aegri abſoluant, nec aeger notabilem uirium deiectionem inde ſentiat, utrum poſt finitam eorum operationem ſeroſorum humorum colluuies in abdomine imminuatur, pedumque tumor decreſcat &c. Si uero bona haec ſigna non obſeruentur, ſuſpicio oritur, potiora corporis uiſcera inſigni labe eſſe corrupta, ideoque continuum de nouo fieri ſeri adfluxum, ubi tutius eſt à crebriori draſticorum purgantium uſu abſtinere, aliisque proficuis & adpropriatis remediis curam adgredi. Incipientem uero hydropem, ab improuida febrium intermittentium curatione, aut aliis de cauſis exortum, ubi nondum omnis naturalis uigor atque tonus uiſcerum labefactatus eſt, repetitis uicibus acrioribus purgantibus oppugnari poſſe, concedo.

§. VI.

Alterum Hippocratis monitum circa *tempus purgandi*, ubi ſcilicet inquit, *ſi quid mouendum eſt, in principio moue*, quod concernit; firmiter mihi perſuaſum habeo, hoc intelligendum eſſe de morbis, in quibus humores peccantes ſatis fluxiles atque mobiles ſunt, qui in primo ſtatim morbi principio turgeſcunt, eoque ipſo ſui euacuationem cito inſtituendam indicant. Hunc in cenſum ueniunt febres continuae & acu-

tae,

tae, in quarum principio ſtatim quandoque ſaburra bilioſorum aliorumque humorum turgeſcentia eorum excretionem expoſcit; hanc uero per purgationem per aluum inſtituere, rem ancipitis & dubii euentus eſſe, exiſtimo, quanquam non ignorem, eſſe, qui in harum febrium acutarum principio blandiora purgantia in ſubſidium uocare non uerentur, quorum exempla imitari non audeo, quum uix ſine aegri periculo tale quid tentari poſſit, ſiquidem ſane leniora laxantia in febrium acutarum principio data tantam ſanguini exagitationem motumque efferum interdum inducunt, quantam draſtica purgantia in ſubiectis caeteroquin ſanis excitare non ualent. In illis enim humores iam ad ſuae miſcelae turbationem & motum concitatiorem ualde proni exiſtunt, qui addito laxantium ſtimulo aperto marte in corpus ſaeuire incipit, & deliria, cephalalgiam, uigilias aliaque peſſima ſymptomata cauſantur. Licet enim haec blanda laxantia mitius operentur, nec tantopere inteſtina ad frequentiores deiectiones irritent; tamen in ipſam maſſam ſanguineam eadem uires ſuas diffundere, extra dubium poſitum eſt. Confirmat hoc illa humorum excrementitiorum copia, per frequentes alui depoſitiones excreta, quae ab inteſtinorum canali, utut ſatis amplus & eximiae capacitatis ſit, contineri non poſſet, ſed ſub ipſum purgationis tempus ex aliis partibus huc confluere, & à reliqua humorum maſſa ſequeſtrari debet. Ipſe quoque motus ſanguinis pulſusque frequentior hoc manifeſtat. Uidemus etiam, quod lac nutricis, cui laxans exhibitum ſit, infantem ſaepe ſimul purget. Ulterius cognoſcimus hoc ex urina, quae ſub purgationis tempus rubicundior euadit, ex quibus omnibus neceſſario diiudicare licet, blanda purgantia ipſam maſſam ſanguineam reliquosque humores adficere. Quae omnia à purgantibus in febrium acutarum principio exhibendis me deterrent. In ultima uero harum febrium declinatione, adſopito effero humorum motu, ipſiusque morbi uirulentia debellata, ad reſiduas bilioſas quisquilias ex maſſa ſanguinea

exterminandas blandum purgans tuto praescribi posse, nullus dubito.

§. VII.

Non dissimili modo se res habet in cholera & dysenteria maligna. In utroque enim hoc morbo copia humorum biliosorum acrium turgescentium & fermentescibilium manifesto adest, atque acrimonia sua uentriculum intestinorumque tractum ad frequentes deiectiones irritando sui euacuationem efflagitant. Sed quis in his morbis acutis, febreque continua stipatis, in primo statim horum principio ad purgantia progredietur, aegrum ob exacerbationem febris metuendam euidentissimo periculo expositurus? Equidem medicus naturae minister esse, eiusque tendentiam, siue quo illa uergit, sequi tenetur; uerum in his affectibus, rebus sic stantibus, axioma hoc medicum exceptionem patitur, quum medicus heic potius de coercendis hisce naturae moliminibus allaborare debeat. Demulsis autem atque obtusis spiculis acrioribus humorum biliosorum, morbo declinante, febreque continua cessante, blandis laxantibus peregrinus & inquietus ille hospes est exturbandus, minime uero morbo incipiente. Alia ratio est diarrhoeae atque dysenteriae benignae, quae febrem continuam comitem non habet. In his laxantis usus esse potest & hoc nomine rhabarbarum inprimis depraedicari solet, quo ipso duos simul parietes una fidelia dealbamus, siquidem hoc, finita laxandi operatione, lenem adstrictoriam uirtutem post se relinquit, fibrasque flaccidas iterum roborat.

§. VIII.

Febres intermittentes & praecipue ex harum classe febris tertiana biliosa exquisita euacuationem per aluum in primo statim principio efflagitat. Exquisita dicitur, quia septem ad summum circuitibus finitur, teste *Hippocr. sect. 4. aph. 59.* Adfligit haec cum uomituritionibus biliosis, cephalalgia grauiori ac siti. Haecce febris statim primo accessionis momento

to bilioſo-pituitoſorum humorum exturbationem, die intercalari inſtituendam indicat, id quod etiam de reliquis febribus intermittentibus, inprimis tertianis, quarum cauſa in biliofis maxima ex parte humoribus eſt quaerenda, ualet, ubi peccans illa febrilis materia fluxilis & tenuis ſatis exiſtit, ut non opus ſemper ſit digeſtiuis & praeparantibus ad euacuationem illam diu diſponere. Aliam paulo methodum requirit febris quartana, in qua cruditates maxime acidae & uiſcidae in primis uiis fluctuant. Si in primo huius febris principio ſtatim ad purgantium uſum accedamus, laterem lauamus, ſiquidem aciditate hac purgantium ſtimulus utplurimum infringitur & hebetatur; quare neceſſario ſalia alcalica cum amaricantibus maritata ad humores uiſcidos attenuandos & ad euacuandum adaptandos ſunt praemittenda. In medicorum ſcholis hactenus quaeſtio fuit uentilata, utrum purgantia tribus circiter horis ante inſtantem paroxysmum, an die intermiſſionis maiori cum fructu praeſcribantur, aliis hanc, aliis illam ſententiam defendentibus. Rectius tamen mihi ſentire uidentur, qui die intermiſſionis eorum uſum ſuadent. Breui enim ante paroxysmum exhibita purgantia facillime hypercatharſin excitant, quia humores in magis efferum & irregularem motum eo ipſo abripiuntur.

§. IX.

Caute quoque mercandum erit circa purgantium exhibitionem in paſſione hyſterica & hypochondriaca. In ipſo paroysmo paſſionis hyſtericae non facile, opinor, quisquam ad purgantia confugiet. Nec magis tutus eorum uſus eſſe uidetur ſtatim poſt depulſum paroxysmum, niſi tenſiones & criſpationes ſpaſmodicas reiterare, nouumque paroxysmum excitare uelis. Quare conſultius erit ab omnium purgantium uſu curatiue abſtinere, & non niſi praeſeruandi fine commodo tempore blandiora in uſum uocare.

§. X.

§. X.

Inter euacuantia per aluum merito recensentur *clysteres*, qui pariter aluum segniorem officii sui memorem reddunt, illamque lubricant. Ratione huius affinitas & conuenientia quaedam inter clysteres & purgantia per os adsumpta intercedit; in eo tamen ab inuicem differunt, quod purgantia non in ipsis primis uiis acquiescant, sed ad ipsam massam sanguineam properent, in eaque uires suas diffundant; clysteres autem ob remoram à sapientissimo architecto circa intestini coli initium constructam, *ualuulam Coli* dictam, ultra intestina crassa adscendere, ideoque uirtutem suam sanguini non facile communicare queant.

§. XI.

Iam tum supra demonstrauimus, & quorundam morborum exemplis illustrauimus, non promiscue quocunque morborum tempore purgantia aegris exhibere licitum esse, quamuis à turgescentibus humoribus quandoque indicentur, sed pro diuersa morbi natura atque indole modo principium, modo aliud morbi tempus pro usurpando purgante esse eligendum; imo dari aegritudines, in quibus purgantia omnino suspecta existant. Clysteres autem tanquam proprium & peculiare prae purgantibus sibi uendicant, quod in omni aetate, in omnibus fere affectibus, & quod maximum est, quouis morbi tempore utplurimum tutius possint usurpari. In plurimis certe morbis illis carere non possumus, in quibus ne laxantia quidem praescribere licet, clysteres autem maximum leuamen adferunt. Exemplo nobis sint passio iliaca, colica, dolores nephritici, ubi uere purgantia propinare idem est, ac oleum igni adfundere; quantae uero efficaciae atque utilitatis in tristissimis his affectibus clysteres existant, maximo suo solatio experiuntur testarique possunt, qui à funestis hisce morbis subinde diuexantur. Quid dicam de febribus continuis acutis, malignis & inflammatoriis? Quotidiana experien-

perientia docet, ab aluo diutius in febribus hisce retenta cephalalgiam, inquietudines, uigilias atque deliria mirum in modum augeri, quae pessima symptomata maxime saepe urgentia per maturam clysterum iniectionem praecauentur, aut saltem mitigantur, subductis excrementis biliosis, quae iusto diutius retenta foetidissimam suam putrilaginem uenis ac sanguini rursus insinuant.

Cap. III.

DE DIAPHORETICIS.

§. I.

NOn immerito euacuantium classi inseruntur medicamenta *diaphoretica*, blanda illa *sudorifera*, quae superfluas & excrementitias seri particulas per uasa excretoria, glandulas subcutaneas cutisque poros eliminando massam sanguineam à sero uitioso depurant. Modum & rationem operandi, qua diaphoretica huiusmodi effectus in corpore nostro praestant, exponere supersedeo, quam *Willisius in pharmacia sua rationali prolixe atque dilucide* satis tradit. Instituti mei ratio potius à me exigit, ut disquiram, quomodo prudenter atque iudiciose haec diaphoretica adhibenda, & pro ratione diuersae indolis & genii morbi diuersum usurpandi tempus eligendum sit.

§. II.

Frequentissimi usus sunt *diaphoretica* in morbis à stagnatione seri oriundis, scabie, catharrhosis atque rheümaticis defluxionibus, inflammationibus tam internis, quam externis, febribus continuis & malignis, intermittentibus, paralyticis & apoplecticis affectibus.

§. III.

Affectus arthritici, rheümatismi, catarrhosae defluxio-

nes, ſcabies omnesque eius ſpecies à uitioſa & impura ſeri qualitate eiusque ſtagnatione ortum ſuum deriuant. Ipſa natura in arthritide & inprimis in ſcabie eo tendit, ut ſuperfluum hoc acre ſerum, partes tendineas ac neruoſas iuncturarum moleſte uellicans, à centro ad peripheriam corporis lege & ope circulationis ſanguinis propellatur, ſicque exitus ei paretur. Laudabilem hunc naturae ductum medicus eius miniſter fideliter imitari debet, hancque metam rite adſequitur, ſi blanda diaphoretica exhibeat, quae tam ſenſilem, quam inſenſilem tranſpirationem augeant, & hac ratione ſerum illud noxium per cutis ſpiracula euacuent. Aſt perinde non eſt, quonam morbi tempore in hisce affectibus diaphoretica praeſcribantur. Si curam ab hoc medicamenti genere auſpicaremur, omiſſis aliis uniuerſalibus euacuantibus, quibus craſſiores ſeri particulae eliminandae ſunt, arthriticis & rheùmatismo laborantibus non ſolum nullum adferremus leuamen, ſed potius cruciatus atrocesque dolores adhuc magis exaſperaremus; potiſſimum in conſtitutionibus cachecticis, ubi ſerum uiſcidum acre abundat. Haec enim diaphoretica, licet non uolatilia, ſed blanda ſaltem mediaeque ſint naturae, aliqualiter tamen concitatiorem motum ſanguini & humoribus inferunt, horumque appulſum ad organa ſecretoria promouent, unde ſalia illa acria ſeroſa ad partes neruoſas & membranaceas celerius atque fortius appulſa ipſas moleſtius uellicando atque pungendo quaſi nouum ſtimulum doloribus addunt hosque adaugent. Nec magis ex uoto ſuccedunt diaphoretica in primo ſcabiei principio adhibita, ubi pariter ſtagnationem ſeri uiſcidioris in glandulis ſubcutaneis uaſisque capillaribus pertinaciorem reddunt, humoribus iſtis impuris, ut per corporis peripheriam cutisque poros eliminari queant, nondum aptis, glandularum ductibus excretoriis uaſisque minutioribus magis incuneatis. Quare in cachecticis ſubiectis diaphoreticorum uſui ſemper primas uias euacuantia erunt praemittenda, imo in plethoricis uenaeſectio, aliaue huius farinae remedia, quibus efficitur,

citur, ut, crasſioribus ſeroſis particulis remotis, diaphoretica libere magis in ſeroſum laticem agere, ſalium acrium ſequeſtraionem à reliqua humorum maſſa adiuuare, horumque excretionem per cutis ſpiracula facilitare queant.

§. IV.

Non contemnenda ſunt blanda diaphoretica in reſoluendis inflammationibus tam internis, quam externis, cum, promota transpiratione per meatus cutis, ſtagnantes humores frequenter mirum in modum diſcutiantur, atque aequalis circulatio illis reſtituatur. Sed in inflammatoriis his affectibus, ubi tempus cito praeterlabitur, u. gr. in pleüritide, peripneümonia, non eſt cunctandum, in quibus niſi ſtatim in principio ſtaſin humorum diſcuſſeris, ſane reliquo morbi tempore diaphoretica & reſoluentia in caſſum adhibebis, ſanguine ſtagnante iam grumeſcente & ad ſuppurationem tendente. Cito ergo his in morbis ad diaphoretica eſt accedendum, non neglecta tamen uenae ſectione, quae itidem in principio in primis locum habet. Cauendum uero in inflammationibus eſt, ne diaphoretica ſint nimis uolatilia, quae humorum motum nimis accelerando, ſanguinis adfluxum ad partem inflammatam, qui ob progreſſiuum ſanguinis motum impeditum hisce in caſibus copioſior eſt, quam refluxus, augeant, humorumque ſtaſin magis accumulent.

§. V.

Nullus fere datur morbus, in quo diaphoretica magis indicantur, quam in febribus continuis, acutis & malignis, in quarum non ſolum principio, ſed in augmento, ſtatu & declinatione diaphoretica omnium ſecuriſſima ſunt remedia omnemque abſoluunt paginam. In eo enim horum aegrotantium ſalus poſita eſt, in eo totius curationis cardo uerſatur, ut non ſolum inſenſibilis, ſed etiam ſenſibilis tranſpiratio rite procedat, aegrotique cutis leni ſudore ſemper madida

obſeruetur, quo ipſo illud febrile miasma ſenſim ſenſimque ex maſſa ſanguinea exterminatur; id quod inprimis mediantibus temperatis diaphoreticis efficimus, dum aequalem ſanguinis circulationem reſtaurando, orgasmum & efferum humorum motum egregie compeſcunt. Moderatus enim & placidus ſanguinis motus ad blandum ſudorem prouocandum maxime requiritur, quod uel febrium intermittentium paroxyſmi comprobant, in quibus, frigore atque horripilationibus ceſſantibus, accedente calore, ſatis ueloci atque concitato motu ſanguis circumagitatur, corpusque ardet. Durante tamen hoc ſanguinis orgasmo uix quidquam ſudoris prorumpit, ſed ſicco calore corpus uritur. Id quod non niſi ab impetuoſiori & rapida illa ſanguinis circulatione fortiorique appulſu dependet; quo ipſo fit, ut fibrae cutaneae nimium ſtringantur, meatus cutis occludantur, ſicque ſeri exitus praepediatur. Simulac autem ſanguis deferbuit, calorque remiſſior fit, fibrae cutaneae antea criſpatae proportionaliter relaxantur, cutisque pori permeabiles & patuli redduntur, ſicque ſudoris proruptio mirum in modum facilitatur.

§. VI.

Deducunt haec me ad examinandum, quo potiſſimum tempore diaphoretica in febribus intermittentibus ſint admittenda. In tam ingenti morborum, quibus corpus humanum expoſitum eſt, numero uix ullus deprehenditur, ad quem debellandum tanta medicamentorum farrago ſuppetit, quanta contra febres intermittentes, licet pleraque eorum examen uix ſuſtineant. Quiuis ex plebe imperita de arcano quodam gloriatur, idque pro certiſſimo ſpecifico antifebrili uenditat, ſed perperam, & ſubinde maximo & inſanabili febricitantium damno. Ex innumera fere horum ſerie liceat nobis pro ſcopi noſtri ratione ſub examen uocare ſudorifera, quae uulgus in ipſo febrium intermittentium primo principio exhibere ſolet. Sed cruditatibus, quae frequenter his febribus occaſionem praebent, in primis uiis adhuc latitantibus, non poteſt

non

non fieri, quin illae ab adſumto ſudorifero in motum adactae ſimul in maſſam ſanguineam abripiantur, ubi ob lentam ſuam conſiſtentiam uaſa minutiora & anguſtiora permeare non poſſunt, ſed neceſſario in motu ſuo progreſſiuo impediuntur, unde uariis uiſcerum obſtructionibus contumacibus & inde propullulantibus morbis chronicis portam pandunt. Accedit & hoc, quod hae impuritates in uaſa lactea protruſae horum oppilationem inducant, atque atrophiam, febremque lentam pariant. Cautius igitur Medicus agit, ſi pro circumſtantiarum ratione primis uiis ab impuritatibus craſſioribus primum repurgatis, ſudoriferorum uſum in febribus intermittentibus ſuadeat, quibus materia febrilis ulterius euacuetur.

§. VII.

Sic etiam in paralyticis & apoplecticis ad praecauendum paroxysmum diaphoretica ſuam merentur laudem, ſi praemiſſis reuulſoriis clyſteribus & purgantibus, quibus uiſcidi humores neruorum tubulos obſidentes ſunt euacuati, ſalia plus minus uolatilia, nec non diluentia, qualia ſunt lignorum decocta, exhibeamus, haec enim uirtute ſua incidendi, attenuandi atque exſtimulandi ſtagnantium humorum nexus diri-munt, eis fluxilitatem reſtituunt, meatus ſiue poros neruorum ulterius reſerant, unde liber influxus ſpirituum animalium in neruorum tubulos magis magisque redintegratur, debitusque eorum tonus reſtauratur.

Cap. IV.

DE DIVRETICIS.

§. I.

HAc in euacuantium medicamentorum claſſe *diuretica* quoque iure ſibi locum uendicant, quae ſerum inutile & particulas ſalino-terreſtres per meatus uri-

narios e corpore una cum latice urinoſo educunt. Haec *diuretica* non unius eiusdemque ſunt generis, neque hinc uno eodemque modo hanc ſuam actiuitatem in corpore humano exercent, ſed diuerſa ratione pro particularum conſtitutiuarum diuerſitate agunt. *Alia sunt aquea* magis, quae ſanguinem diluendo, & materiam urinae ſubminiſtrando peccantes humores in ſinum ſuum recipiunt, eosque ſimul ſecum per uias urinae excretioni inſeruientes ex corpore auferunt; *alia* magis in maſſam ſanguineam agunt, eiusque motum inteſtinum augent, quae dum ſanguinis miſcelam intimius ſubeunt, poris & ductibus meatuum urinariorum ſecretoriis & excretoriis inhaerent, horumque fibras uellicando ſequeſtrationem humoris ſeroſi accelerant; *alia* uiſcidos & glutinoſos humores attenuant, incidunt, horum nexus diſſoluendo ad liberiorem ſecretionem facilioremque ſeceſſum eos diſponunt, ſicque largiorem urinae ſequeſtrationem & profluxum procurant.

§. II.

Secundum etymologiam atque uim uocis hocce remediorum genus energeiam ſuam potiſſimum in meatus urinarios, omnesque ac ſingulas horum partes, tam ſecretioni, quam excretioni laticis urinoſi inſeruientes exercere, horumque affectibus quibusdam medendis dicatum eſſe uidetur. Commendant quoque nonnulli diureticorum uſum in dyſuria & iſchuria; quam methodum neque ſimpliciter improbandam, neque promiſcue imitandam eſſe iudico; ſed antequam medicus ad eorum uſum deueniat, prudenter in horum affectuum cauſas ei erit inquirendum. Ubi ſanguis coagulatus & grumoſus, materia purulenta, pituita uiſcida & glutinoſa, nec non ſabuloſa colluuies uel peluim renum, uel ureteres, uel ueſicae oſtium, aut urethram obſtruunt, urinaeque profluuium intercipiunt, tuto ad mitiora diuretica, praeſertim aquea illa dicta, confugere licet. Quando uero calculi uel in renibus, uel in ueſica haerentis ſuſpicio ſubeſt, caute hic eſt

mer-

mercandum; quis enim me certiorem reddere poterit de magnitudine calculi, utrum ureteres & urethram permeare possit, an minus? quo in casu dubio & ancipiti ab exhibitis diureticis fortioribus paroxysmus nephriticus, quin saepe mictus cruentus frequenter excitantur. Nec blandioribus in ipso paroxysmo locus erit concedendus, ubi leuissima de causa calculus in motum adactus asperitatibus suis uasa renum sauciare, eorumque exulcerationem inducere potest. Sedatis autem doloribus, & adsopitis meatuum urinariorum spasmodicis constrictionibus mitiora illa aquea diluentia, quae terrestres & glutinosos, uel in renum pelui, vel in uesicae cauitate stagnantes humores, proximam materiam generando calculo suppeditantes, diluendi sua uirtute dissoluunt, & simul secum per urinam ex corpore educunt, optime conueniunt, ulterioremque calculi concretionem praecauent.

§. III.

Non solum autem calculosis, aliisque meatuum urinariorum affectibus decumbentibus haec diuretica medelam adferunt; sed quoque in uiscerum obstructionibus, malo hypochondriaco, hydrope, ictero scorbuto, & articulorum doloribus egregie sese gerunt, maximaeque sunt efficaciae.

§. IV.

Quemadmodum a dextera & prudenti diureticorum exhibitione salutaris & exoptatus effectus impetratur; ita intempestiuus & inprouidus eorum usus multa saepe mala, uix ulla arte deinceps sanabilia, post se relinquit. Quare paucis perlustrabimus, quomodo debito ordine debitoque tempore in supra enarratis affectibus diuretica sint adhibenda.

§. V.

Hypochondriaci quandoque satis anxie & solicite morbi sui medelam expetunt, uitae fere pertaesi, ob symptomatum, quibus

bus quotidie diuexantur, congeriem. His nonnulli medici ſatisfacere allaborant, conuenientium & adpropriatorum medicaminum antihypochondriacorum uſum crebrioribus purgantibus interſtinguendo; ſed exitus ſubinde neque medici, neque aegri uoto reſpondet, cum tenſiones & conſtrictiones neruorum abdominis, hypochondriacis admodum familiares, a frequentioribus purgationibus per aluum plerumque exaſperari ſoleant. Hiſce palmam praeripiunt mitiora diuretica, humores lentos corrigendo & reſoluendo, tandemque cum urina per uias huius excretioni fabrefactas e corpore eliminando. Suppetunt quoque diuretica, quae ſimul uirtutem ſtomachicam poſſident, qualia ſunt tartarus uitriolatus, iuniperina, abſinthiaca &c. quae non ſolum urinam mouent, ſed languido ſimul uentriculo ſuccurrunt, ructus & borborygmos hypochondriacorum ſanant, ſicque duas indicationes adimplent. Uerum neque nimis properandum, neque nimis cunctandum hic erit, hoc eſt, neque ſtatim in primo huius paſſionis initio ad diuretica confugiendum; neque eorum uſus tam diu procraſtinandus erit, donec omnia alia huc conuenientia medicamenta in caſſum fuerint adhibita, malumque iam ſit inueteratum. Si curam ab his auſpicamur, nullo praemiſſo laxante, primarum uiarum impuritates per totam maſſam ſanguineam diſſeminamus, quae ob uiſcidiorem ſui conſiſtentiam uariorum uiſcerum obſtructiones, humorumque ſtaſes generant. Sin diuretica, non niſi malo hypochondriaco iam iam ad extremum redacto, in uſum uocamus, ſpes medici & aegroti fruſtrabitur, morbique magnitudo diuretica omnino reſpuet. Ubi enim paſſio hypochondriaca in hecticam degenerare incipit, angue peius euitanda ſunt diuretica, ne ſerum corporis iam haud parum exhauſtum adhuc magis depauperando mortem aegri acceleremus. Commodiſſimum itaque & maxime opportunum tempus hypochondriacis diuretica praeſcribendi erit, quando tenaces & uiſcidi humores per continuatum corrigentium uſum ad euacuationem

nem

nem adaptati una uel altera uice leniori laxante per aluum ſunt ſubducti, quo facto citra ullam moram ſine metu ad illa acceſſus fieri poterit.

§. VI.

Maximum ſolatium *hydropici* quoque à diureticorum uſu exſpectant, idque eò certius, quo magis ipſa natura ſponte ſua per crebriorem atque largiorem urinae effluxum, ita ut quantitas excretae urinae quantitati potus adſumpti ſaltem reſpondeat, morbum hunc ſoluere conatur. Huc digito quaſi natura medico uiam ſeroſae colluuiei educendae monſtrat, quae naturae molimina medicus eius miniſter prudenti diureticorum uſu ſuffulcire atque facilitare tenetur. Sic optime hydropicis, in quibus natura ipſa hunc exitum ſeroſorum humorum indigitat, proſpicitur à medico, qui praemiſſis purgantibus, deinceps per totum huius morbi decurſum diureticorum uſum non ſeponit, ubi talia ſeligenda erunt, quae ſimul chylificationis negotium reſpiciunt, quo nomine iuniperina maxime ſe commendant.

§. VII.

Diſpar ratio eſt circa diureticorum uſum in curando *ictero*; hîc minime quouis huius morbi tempore diuretica in ſubſidium uocare licet, ſed ſaltim circa declinationem morbi locum habent, mucaginoſitate ſcilicet & uiſcida bilioſorum humorum conſiſtentia per aperientia debite correcta, his per purgantia repetitis uicibus euacuatis, & tandem tubulis hepatis & ductibus cholodochis reſeratis. Quibus rite praemiſſis, & maxima morbi uirulentia ſuperata, tuto ad auertendam mali recrudeſcentiam reliquiae bilioſae in corpore adhuc reſiduae per diuretica expelluntur.

§. VIII.

Scorbuticis, arthriticis atque ſcabioſis non leuem opem ferunt diuretica, teſte Hippocrate *ſect.* 4. *aphor.* 74., ubi recte adſerit, quod bonum ſit ſignum, ſi in articulorum doloribus

urina alba & craſſa excernatur. In omnibus hiſce affectibus ſalia acria peregrina peccant, id quod dolores lancinantes, pruritus aliaque phaenomena hic obuia ſatis demonſtrant, quare, quod Hippocrates in hoc aphorismo de articulorum doloribus ſcribit, etiam de ſcorbuto & ſcabie erit ſentiendum. Haec ſalia acria ſi per corrigentia non omnino alterari aut ſubiugari, neque per crebrius interpolata purgantia penitus eradicari poſſint, tandem morbis his ad declinationem uergentibus per diuretica cum urina è corpore ſunt exturbanda.

Cap. V.

DE ERRHINIS ATQVE PTARMICIS, APOPHLEGMATIZANTIBVS, SALIUANTIBVS ET BECHICIS.

§. I.

TAndem ordo me deducit ad examinanda euacuantia *particularia* ſic dicta. Si paulo accuratius conſideramus, quomodo per has ſecretiones in propriis organis & peculiaribus corporis partibus factas ſanguis a ſpurcitie purificetur; uix *particularia* euacuantia nuncupari poterunt, niſi intuitu partis corporis, quam quodlibet horum adficit, & ex qua ſuperfluos & excrementitios humores elicit, hanc denominationem admittere uelimus.

§. II.

Agmen inter haec ducunt *errhina* atque *ptarmica*. *Illa* dicuntur, quae olfactus organon & praeſertim membranam pituitariam ſale uolatili ſuo plus minus acri lenius uellicando, mucum ex anfractuoſis narium ductibus ſine ſternutatione edu-

educunt; *haec* ſunt illa ſternutatoria, quae ſale ſuo acriori grauius adficiendo olfactus organon & fortiter conuellendo quaſi tunicam pituitariam narium mucoſos humores cum ſonitu & ſtrepitu inde eliciunt, ita ut totum corpus fere inde contremiſcat. Ex quibus ſatis liquet, modum operandi & afficiendi errhinorum atque ptarmicorum unum eundemque eſſe, & non niſi gradu differre, quae tamen differentia in praxi alicuius eſt uſus, ſiquidem in quibusdam morbis tuto porriguntur errhina, qui ptarmicorum uſum non admittunt.

§. III.

Cum haec errhina ex tortuoſis narium anfractibus & cauernulis, quas ſinus frontales, in oſſe frontis ad radicem naſi ſiti, conſtituunt, nec non quas oſſa ethmoidea & oſſa ſinus ſphenoidei efformant, mucum ſtagnantem feliciter & copioſe emungant; facile conſtat, quam egregie haec in mitigando grauatiuo capitis dolore, à catarrhoſis uiſcidis defluxionibus orto, & in ſoporoſis affectibus, nec non in ophthalmia ſeroſa ſe gerant. His enim ipſis non ſolum iam inibi ſtagnans mucida materia reuellitur atque remouetur, ſed etiam reliquus ſanguis per arterias carotides illuc delatus, antequam ipſum cerebrum ingrediatur, à mucoſis illis ſordibus liberatur, ut purior ſanguis caput influat, nec in tenuibus & capillaribus cerebri uaſis obſtructiones inde emergant. Ab his autem errhinis curam dictorum affectuum auſpicari non auſim, ſed feliciorem effectum inde ſperandum eſſe, autumo, ſi per lenia laxantia praemiſſa colluuies ſeroſa aliquatenus à capite reuulſa, ipſaeque primae uiae repurgatae ſint, ut hac ratione ulterior materiae mucoſae adfluxus ad caput intercipiatur. Ut plurimum quoque in catarrhis febrilis quidam motus in maſſa ſanguinea percipitur, unde neceſſario anticatarrhalia cum blandis alexipharmacis atque diapnoicis ſociata ad reſtituendum aequalem ſanguinis motum circulatorium ſunt praemittenda, hoc enim turbato, neque ſyncriſis neque diacriſis humorum rite contingunt.

§. IV.

Non desunt, qui ptarmicorum siue puluerum sternutatoriorum usum in epilepsia commendare minus dubitant, sed circumstantiae hic attendendae sunt, cum à uiolenta illa crispatione & conuulsiuo motu, quem ptarmica neruis pyramidalibus fibrisque membranae pituitariae narium inducunt, facillime recidiua grauis huius affectus, praesertim si ab atonia atque debilitate generis neruosi originem ducat, sit extimescenda, dum peruersus atque inordinatus à molesta papillarum neruearum narium tunicae uellicatione spiritibus animalibus inductus motus per neruorum filamenta ad cerebrum, neruorum fontem, propagatur, unde illis neruis in consensum raptis, impetuosus atque anomalus succi neruosi motus augetur, nouoque insultui epileptico ansa praebetur commodissima.

§. V.

Sequuntur *apophlegmatizantia* & *saliuantia*. Quo iure *saliuantia particularium* euacuantium numero inserantur, non adeo liquet, dum subtilia atque penetrantissima mercurii principia salina totam massam sanguineam perreptantia energeiam suam undiquaque per eam diffundunt, eamque ab impuritatibus purificant. Rectius *apophlegmatizantia* ad hanc classem referuntur, quae uicina tantummodo capitis loca & uasa, faucium scilicet ac palatinas glandulas irritant, & sine ullo motu massae sanguineae, uellicatis solum fibris tunicae palatum & fauces inuestientis, operationem suam exserunt, ut ex uasis his à blanda titillatione hac compressis & glandularum fibris ductibusque excretoriis crispatis humor ille saliualis in oris cauum copiosius eructetur, quo ipso sanguis per arterias carotides ad cerebrum tendens ab impuritatibus repurgatur.

§. VI.

Qui gustus defectu laborant, apophlegmatizantia in ore suo

ſuo uolutare ſolent, nec ſine felici ſucceſſu. Hic autem ſermo nobis non eſt de illo guſtus defectu aliquot ſaltem dierum, utplurimum catarrhos concomitante; hîc enim humiditates non deficiunt, ſed in nimia copia abundant, quae ſalia rerum ſapidarum nimis cito diſſoluunt, ut papillas nerueas pyramidales, linguae non debite uellicare, pungere atque ſaporem excitare queant; ſed de eo, ubi glandulae atque ductus ſaliuales praeſertim ſublinguales obſtructi nullam plane ſaliuam in oris cauitatem effundunt, quae tamen neceſſario ad extricandas particulas ſalinas ex cibis aliisue ſapidis obiectis requiritur, ut meatibus papillarum neruearum linguae ſeſe inſinuare, easque aculeis ſuis uarie uellicando diuerſos ſapores inducere poſſit. Quo potiſſimum huius affectus tempore apophlegmatizantia offerenda ſint, non adeo multum refert, & ſine mora in principio, uel deinde etiam eadem exhibere licet.

§. VII.

Frequentiſſime porriguntur haec apophlegmatizantia illis, qui paralyſi linguae & aphonia corripiuntur, ubi non alia ratione huic malo leuamen adferre uidentur, quam quod ramos neruorum à pari quinto & à pari nono pro motu & ſenſu guſtatus organo impertiendis excurrentes à muco tenaci ac uiſcido eos infarciente repurgent, & ſic liberum ſucci neruoſi influxum reſtaurent. Sed non niſi praemiſſis euacuantibus uniuerſalibus, ſtagnantibus humoribus iam quadantenus reuulſis, apophlegmatizantia tuto admittuntur.

§. VIII.

Maiorem circumſpectionem requirunt *ſaliuantia*, generoſum ac heroicum remedium, ad quod in lue uenerea, morbis chronicis contumacioribus, ſcorbuto inueterato &c., tanquam ad ſacram anchoram confugimus, modo rite mercurialia haec praeparata ſint, prouideque uſurpentur. Multi

ſane practici inſignem horum efficaciam in exſtirpandis recenſitis malis rebellibus magnis laudibus extollunt, & in eo conueniunt, *ſaliuationem* nunquam eſſe inſtituendam, niſi omnia alia remedia iam in caſſum fuerint adhibita, morbique contumacia illa penitus illuſerit. Hi autem mercurialium uſum nimis reformidare uidentur, qui metus ſane inanis eſt, licet plurimae fide dignorum practicorum obſeruationes de ſiniſtro ſaliuationis euentu teſtentur, qui ſaepius tamen abuſui mercurialium, uel imprudenti eorum praeparationi, uel improuidae adplicationi, uel denique ipſorum aegrotantium malo regimini uictusque erroribus adſcribi poteſt. Nolo autem cuiquam auctor eſſe ut à *ſaliuantibus* curam hanc inchoet; ſed potius alia congrua medicamenta prius ſunt tentanda; multo minus in eorum ſententiam cedam, qui ſaliuationem usque ad extremum quaſi momentum procraſtinandam eſſe putant. Quid in medicina magis proficuum, quam debito tempore remedia adplicare? quid magis noxium, quam procraſtinatio? facile commodiſſimum tempus praeterlabitur, uiresque aegroti diuturnitate atque uehementia morbi conſumuntur, quarum tamen potiſſimum circa ſaliuationem ratio eſt habenda, utrum huic ſuſtinendae adhuc ſufficiant, quum haec ſine notabili uirium diſpendio abſolui nequeat. Notum enim mihi exemplum eſt infeliciter inſtitutae ſaliuationis in quodam uenerea lue laborante, qui atrophia iam tum laborabat. Media ergo uia, & neque nimis timide, neque temere circa huius medicamenti uſum erit incedendum; & tutius eſſe iudico, in morbis ſaliuantia indicantibus ad horum prouidum uſum ſeſe accingere, antequam hi morbi nimis altas egerint radices. Commendant quoque alii ſaliuantia in apoplexia, paralyſi & epilepſia, uerum ubi atonia atque debilitas ſyſtematis neruoſi obſeruatur, ubi nerui ad ſpasmos recipiendos proni ſunt, tutius ab illis abſtineri, exiſtimo.

§. IX.

§. IX.

Ultimum tandem locum inter ſic dicta euacuantia *parti- cularia* locum occupant *bechica* ſiue *expectorantia*, quae peccantes humores uel in bronchiis pulmonum, uel in membrana pleüra, uel in ipſa thoracis cauitate ſtagnantes exinde per tracheam eliminant. Ex ipſo nomine ſatis patet, haec remedia affectibus thoracis, tuſſi & aſthmati humoroſis, infarctui pulmonum, empyemati, phthiſi, pleüritidi, peripneümoniae ſuccurrere iisque eſſe dicata.

§. X.

Tuſſientibus, aſthmaticis & quibus bronchia pulmonum materia craſſa ſunt infarcta, expectorantia ſtatim in primo morbi principio propinanda eſſe, nemo diffitebitur. Superuacaneum eſſet, in his caſibus diu humorum ſtagnantium praeparationi inhaerere, quum illa medicamina, quae bechicorum nomine inſigniuntur, & in tuſſi, ac aſthmate à materia uiſcida locum habent, u. gr. ſperma ceti, gummi ammoniacum &c. ſub oleoſis & reſinoſis ſuis particulis ſimul ſalini quid abſconditum habeant, qua ratione materiam craſſam incidunt, attenuant & ad expectorationem diſponunt, quibus ſi talia admiſceantur, quae praeter uim bechicam ſimul uirtutem pulmones ad excretionem irritandi poſſident, qualia ſunt oxymel helleborinum, ſquilliticum, ſyrupus nicotianae, eüporiſton inde reſultat medicamen, per totum morbi decurſum continuandum. Ubi autem materia tenuis acris & catarrhoſae defluxiones ad pectus defluentes in culpa ſunt, mucilaginoſa & inuiſcantia requiruntur, id quod iudicio practico relinquendum eſt.

§. XI.

Cum pleuriticis & peripneümoniacis in praeſcribendis medicaminibus expectorantibus aliter paullum ſe res habet. Non enim haec in morborum principio ita indicantur, ſed potius

potius, quae ſtaſin humorum diſcutiunt, ſanguinemque uel in membrana pleura, uel in ipſis pulmonibus ſtagnantem priſtino fluori atque debito motui circulatorio reſtituunt, quorum uſui pro re nata per aliquot dies inſiſti poteſt. Si tamen per haec reſoluentia diſcuſſionem ſtagnantium humorum obtineri non poſſe, obſeruemus, ſine mora ad maturantia ſiue ſuppurantia eſt progrediendum, quibus expectorantia addi debent, quae hoc morbi huius tempore omne ferunt punctum.

CAP. VI.

DE EVACVANTIBVS, EX FONTE CHIRVRGICO DEPROMPTIS.

§. I.

HActenus euacuantia, quae ex fonte pharmaceutico deſumuntur, perluſtrauimus, atque de prouida eorum exhibitione debito tempore inſtituenda diſſeruimus. Reſtat denique, ut ſub examen uocemus euacuantia, quae *fons chirurgicus* nobis ſuppeditat, atque de tempeſtiuo eorum uſu nonnulla moneamus.

§. II.

Inter haec prae reliquis eminet *uenae ſectio*, generoſum illud remedium. Supra iam mentionem fecimus, nonnullos quondam fuiſſe, inter quos Helmontius princeps & auctor exſtitit, qui uomitoria ex foro medico omnino proſcripſerint. Idem fatum quoque *uenae ſectio* habuit, quam idem Helmontius pariter exilio mulctare conatus eſt. Uerum non defuerunt, qui ſtrenue & acriter hanc contra aduerſarios propugnarunt,

runt, ut non opus eſſe uideatur eius encomium hic ſuſcipere, cum ab aliis ſufficienter praeſtitum ſit, & legi hic meretur diſſertatio Herm. Conringii noſtri de uenae ſectione. Proſtant quidem multae obſeruationes de infelici uenae ſectionis euentu; uerum hic ſaepius imperitia uel medici uel chirurgi inſimulanda, neque generoſum hoc remedium, uti uulgus frequenter facit, in quouis morbo uel in qualibet conſtitutione eſt adhibendum, nec ab abuſu ad uſum ulla ualet conſequentia.

§. III.

In omnibus congeſtionibus ſanguinis, huiusque ſtaſi & inde oriundis inflammationibus, ſub quarum nomine ueniunt angina, ophthalmia calida, phrenitis, pleüritis, peripneümonia, hepatitis, nephritis &c., & ubicunque purpureus ille latex uel copia, uel nimio motu ſiue orgaſmo excedit, *uenae ſectio* maxime locum habet, & ſaepe praeſentiſſimum fert auxilium, modo debito tempore adminiſtretur. Felix hoc in caſu dici poteſt medicus, qui iudicio practico ornatus omnia indicantia, coindicantia & contraindicantia *uenae ſectionis* probe confert, & ex his inuicem collatis & penſitatis dein recte iudicat, quid in caſu ambiguo faciendum ſit, utrum indicantia, an contraindicantia praepolleant, utrum uenae ſectio admittenda, an negligenda ſit.

§. IV.

Ubi ergo talia indicantia ſeſe offerunt, quae ſanguinis miſſionem expoſcunt, medicus de tempore morbi eligendo ad celebrandam uenae ſectionem haeſitans ſemper & praeſertim in inflammationibus internis, & febribus continuis & acutis memor eſſe debet ſaluberrimi Hippocratis moniti, *ſi quid mouendum eſt, in principio moue*; Ita enim in dictis febribus in principio inprimis inſtituta uenae ſectio iuuat & mediante

hac non ſolum ſtagnantium humorum discuſſio quadantenus facilitatur, ſed etiam futura deliria, uigiliae & cephalalgia aliaq; ſymptomata maxime urgentia ſaepe feliciter auertuntur. Quo tempore elapſo, febreque iam ad augmentum prouecta, uenae ſectio exulet, ob inſignem uirium iacturam, quae utplurimum has febres concomitari ſolet. Diſtinguendum tamen hic eſt inter ſanguinis miſſionem ex *uenis maioribus*, & ſanguinis miſſionem ex *minoribus*; illam non niſi in primo harum febrium inflammatoriarum & acutarum principio celebrandam eſſe, hanc uero in earum augmento & ſtatu urgente neceſſitate tuto admitti poſſe, iudico. In memoriam mihi reuoco exemplum iuuenis cuiusdam pleüritide nuperrime afflicti, in quo ſtatim primis diebus pro rei neceſſitate uenae ſectio celebrabatur. Per totum huius morbi decurſum triſtia ſymptomata aegrum diuexabant, inter quae fere funeſtiſſimum erat angina nono morbi die ſuperueniens, omnemque fere reſpirationem & medicamentorum deglutitionem impediens, uena ranina dextra inſigniter tumeſcebat à ſanguine ſtagnante extenſa, uerſus quod dextrum latus colli tumor & inflammatio praecipue erat conſpicua; quo in caſu uenam hanc raninam in ipſo morbi ſtatu feliciſſimo cum ſucceſſu apertam fuiſſe ipſe obſeruaui.

§. V.

Illa, quam ſanguineam adpellamus, apoplexiae ſpecies uenae ſectionem etiam efflagitat, ubi optime agunt medici, qui hanc in paroxyſmo omnibus aliis fortioribus excitantibus, u. gr. uomitoriis, ſternutatoriis, praemitti iubent, quo ipſo ruptura uaſorum ſanguineorum cerebri expanſorum à uomitoriis & ſternutatoriis extimeſcenda praecaueri poteſt, quam ſanguinis miſſionem poſt paroxyſmum in iuuenili & plethorico corpore pro re nata etiam reiterare licet. In ipſo apoplexiae paroxyſmo nonnulli maximopere commendant *arteriotomiam*, alii

alii uero *uenarum iugularium* incisionem illi praeferunt. Et uidetur per apertionem arteriae adfluxus tantum sanguinis ad caput aliquomodo intercipi, quando uero uenae iugulares inciduntur, sanguini refluxuro maius spatium conceditur, dum turgidae uenae inaniuntur, & sic sanguini in cerebro stagnanti etiam aliqualis motus induci potest. Maioris usus esse uidetur arteriotomia in dolore capitis pulsatorio ab impetuoso sanguinis motu ad caput orto, nec non in uertigine eandem causam agnoscente, sed haec encheiresis suspensam manum chirurgicam requirit.

§. VI.

Vicarias uenae sectionis praestant *scarificationes* & *hirudines*; illae frequenter adhibentur, ubi uenae sectionem instituere uel uires aut aliae circumstantiae non permittunt, aliquando in corporibus obesis, ubi ob molem carnis uenas obtegentem uenam secare non licet, ad diuersionem sanguini, ut ita dicam, inducendam reuulsionemque faciendam. Hirudines applicantur interdum meticulosis, qui a uenae sectione abhorrent, pone aures & tempora, in oculorum & capitis affectibus ad sanguinem exinde reuellendum. Admouentur quoque haec animalcula locis, ubi uenam tundere non licet, uasis nempe haemorrhoidalibus externis, ad reuocandum haemorrhoidum fluxum, maximo eorum solatio, quibus haec alias consueta sanguinis excretio est suppressa. Utraque uero haec euacuatio cum uices uenae sectionis sustineat & adfluxum materiae morbificae ad partem affectam intercipiat, in principio locum habere potest, quoniam tamen uires non ita imminuit, uti uenae sectio, in progressu morbi etiam tutius admittitur.

§. VII.

Sequuntur fonticuli & setacea, ulcuscula artificialia in corpore humano excitata, ad serosos humores superfluos a par-

tibus nobilioribus ad ignobiliores deriuandos, ut illis exitus ex corpore humano paretur. Frequentioris uſus ſunt fonticuli quam ſetacea, illi enim mitius, haec uero maiori cum moleſtia, ob filum quotidie per uulnuſculum traducendum operantur. In apoplexia, ophthalmia, odontalgia, aurium tinnitu, epilepſia à ſeri uitioſi ad has partes defluxionibus optimum ſaepe effectum edunt, peccantem materiam reuellendo & eliminando. Plures autem aegri hoc remedii genus ob moleſtiam reſpuunt, ideoque ſaepe nonniſi in morbis his iam inueteratis & fere rebellibus factis, in quibus alia medicamina non ſuffecerunt, demum adhibentur.

§. VIII.

Ultimo loco ſe ſiſtit paracenteſis, quae duplex eſt, alia pectoris, alia abdominis. Illa inſtituitur mediante inſtrumento quodam, *gallis trocar* dicto, circa regionem pectoris, ubi à uulnere inflicto cruor extrauaſatus & grumeſcens in cauitate thoracis fluctuans nulla alia ratione educi poteſt, in empyematicis, ubi materia purulenta in thoracem eſt effuſa, hydrope pectoris, uel quando aliae res p. n. in thoracis cauo continentur. Haec eodem fit inſtrumento in infimo uentre & dicitur paracenteſis abdominis, qua hydropicorum colluuies ſeroſa inter muſculos abdominis & inteſtina ſtagnans elicitur. Ratione temporis morbi, quo haec encheireſis inſtituenda eſt, aliqualis differentia inter paracenteſin pectoris & abdominis intercedit; illa neutiquam eſt procraſtinanda, ſed quantocyus tentanda, ſimulac de ruptura empyematis atque effuſione materiae purulentae, ſiue aliarum rerum p. n. in thorace latentium per debita ſigna collectim ſumpta certiores facti ſumus, ne tenerrima pulmonum ſubſtantia aliaeque adiacentes partes corrodantur, nec ab incumbente mole materiae purulentae expanſio & conſtrictio pulmonum motusque diaphragmatis ſufflaminetur, ſicque ſubita ſuffocatio inſequatur. Abdominis

dominis autem paracentesis non est acceleranda, nisi prius mediantibus medicamentis internis serosorum humorum euacuationem omni ope tentaueris. Sed his nihil efficientibus, praestat aliquando ad hanc operationem confugere & in morbo desperato anceps remedium experiri quam nullum. Nec tamen nimis differenda est paracentesis, cum saepius felicem euentum non sortiatur, dum instituitur, ubi uires huic operationi subeundae amplius non suppetunt, uisceraque interna a serosa colluuie iam sunt corrupta. Sed haec nunc sufficiant in difficili hac & diffusa materia monuisse, prolixius aliquando, si uitam Deus & otium concesserit, excutienda.



MYN HEER en waerden Vriend, GHY doet wyſ-ſinnich
ſchryven
In *Uvve* nette Werck met een geleerden Geeſt,
En thoont, hoe dat men ſal wyſ en voorſienigh blyven
In 't Medicin Gebruyck, evacueerend meeſt;
Daerby d' afwiſſeling der Sieckten obſerveeren,
Soo als 't behoorlyck is, ter eeren, tot vermaeck
Selfs van den Medecyn, en ſulcks te reguleeren
Is voor den Siecken goet, en geene kleyne Saeck;
Heel wel gedaen! MYN HEER, wat nogh niet is beſchree-
ven
Soo breed en oock ſoo klaer, ſchryft U geleerde Penn
In onſen Elm-Atheen, U wort daevoor gegeven
Den *Doctoor Hoed*, neemt dogh, naer *U* Verdienſt, hem hen.
Ick ben verblydt, het ſal *Gard'legen* ſeecker vinden
Den wys-geleerden HEYNS, een heel beleeften Mann!
Ick ſnyd' in geen Pompoen en ſchryff op geene Linden,
Maer in myn Hert U Naem geheel glückwenſſend aen.

Soodaenigh heeft zyn hartelycke gratulatie tot die
wel-gemeriteerde Eeren daerleggen ſullen

J. C. STISSER, Camer.